



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Albertus C. 3. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

3. Sept. VITÆ SANCTORUM. 551  
essent. Ad extremum in insulam ejecti  
gladioque sunt cæsi. Ne tamen improbi-  
tas ob successus sibi plauderet, adfuit in  
fornis Columbo ipse AIGULPHUS, &  
sanguinis sui guttâ in scelerati pectore ac  
tergo geminos circulos descripsit. Ex his  
supplici unum duntaxat reliquit, certis-  
simum mortis omen, quâ Rex Clodo-  
veus meritissimum affecit. Nam ut om-  
nes scriptores taceant, facinoris imma-  
nitatē exactæ linguæ loquuntur. Ex Graf.

*Vidit Deus opera tua, recursus & excur-  
sus flagitiorum tuorum, & continuit iram  
suam. Cælum non fulminavit, aqua non  
submersit, non obsorpsit tellus, & cum omnis  
terra sit plena gloriâ Domini, non reveritus  
es præsentem Dominum & coram tantâ  
munditiâ immunditias tuas exercere. S.  
Pet. Dam. serm. de Char.*

S. ALBERTUS C. 3. Septembris.

**A**Bsque ventis adversis fuisset, nun-  
quam animum ALBERTUS ad cælum  
appulisset, usque adeo malè Favonios  
sæpè vocamus. Natus in magnas opes,  
majores has artibus non bonis effecerat,  
stultusque cælum dudum auro vendide-  
rat. Ut tamen divitiis divitias, hoc est  
lutum luto adderet, velis remisque  
per lacum Verbanum contendit. Ve-  
rùm exorta repente ingens procella  
alias scilicet oculis undas Coeyti objecit,  
M in 4 alium



552 VITÆ SANCTORUM. 3. Sept.  
alium nautam Charontem. Ergo cum  
omnia jam unicum naulum crederet, &  
orco debitum, vota cum velis vertit, &  
ut viveret, cælo vovit deinceps vivere.  
Arrisit continuo votis cælum, ut audisse  
hæc scires. Sed ecce in ipso portu nau-  
fragium. Opes omnes (ne timelector) in  
miseros abjicit, inde conjuge inter vela-  
tas virgines abditâ, montem non sine in-  
genti labore conscendit, qui in eum, de  
quo mentionem fecimus, lacum excur-  
rit. Hic cælo propior cum DEO jam com-  
mercia habuit, & com meatum à præter  
navigantibus demissâ sportâ lagenulaque  
accepit tam diu, dum Angeli denique vi-  
ctum è cælo ministrarent. Itaque cum  
Superum hospes necquicquam ab homi-  
nibus jam mendicaret, mortuum rati  
sunt accola. Sed vivere splendor casæ  
imminens ostendit, & pestis à vicinis  
populis ALBERTI & D. Chatharinæ, cui  
templum ponere Angelus jusserat, preci-  
bus propulsata. Eidem templo illatus  
ALBERTUS, ambrosiam, quâ, cum vive-  
ret, passus erat, mortuus etiam spiravit.  
*Ex vitâ B. Alberti.*

*Dilige totâ animâ Dominum Deum  
tuum, sponsum tuum, vitam tuam, sola-  
tium tuum, consilium tuum, & refugium  
tuum. Dilige illum qui tibi est quidquid a-  
mabile aut optabile esse potest: dilige eum ca-  
stè, devotè & sanctè; non verbo, non linguâ,  
sed opere, & veritate. S. Bern. op. de char.  
c. 31.*

B. RO-